

debant, nempe creatorem. quanquam de conuersatione interim & disciplina uariatū est etiam inter Apostolos, ut indicat Pauli illa cum Petro disceptatio. Sub hac ostendit deum Marcionis esse mali permissorem, ac planè malignum, ut qui non statim homini succurrerit. Nec fuisse rationem cur illius benignitas alieno homini subuenire uoluerit: quando sic benignum esse, sit iniuriam facere. Præterea non solum iniustam esse, sed imperfectam illius benignitatem, quod animam tantum liberet, corpus perire sinens, cuius apud Marcionē resurrectio negat. In summa, bonitatē (ut ipsius utar uerbis) minime deo adæquari, ut neq; ingentā, neq; rationalē, neq; perfectam, sed improbam & iniustam, & ipso iam bonitatis nomine indignam. His absolutis tractat quæstionem, An deus de sola bonitate sit censendus, ostendens etiam iudicium deo conuenire. Epicuricum uero Marcionis deum, stupidum esse, qui non offendatur hominibus ipsius præcepta cōtemnentibus, non irascatur, nō sumat uindictam, omnium affectuum expers. Demum rursus summā colligit, dei Marcionici neq; statum, neque conditionem, neq; naturam, neq; ullam rationem, deniq; nec fidei eius sacramentum baptismū consistere. Porro quoniam nullum regenerationis lauacro censebat abluendum, nisi cœlibem aut matrimonio uel huius fructui renunciantem, ostendit hanc institutionem absurdam esse atque damnabilem. Vbi de matrimonio ualde Christiane loquitur, admiscens tamen paululum de dogmate Montani, de unis uidelicet nuptijs, cum inquit; Sed etsi nubendi iam modus ponitur, quem quidem apud nos spiritalis ratio Paraceto autore defendit, unum in fide matrimonium præscribens. &c. Atque hæc libro primo. Refert diuus Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorū, Smnyrnensem episcopum Polycarpum, cum huic Rhomæ forte fortuna Marcion obuius factus, dixisset, Cognoscis nos? respondisse, cognosco primogenitum diaboli Eodem autore, nominatim aduersus Marcionem scripsere, Theophilus Antiochensis episcopus, Philippus episcopus Cretenfis, Modestus & Rhodon. Ipse uero passim in suis scriptis hominem dementiæ arguit, in Paulinis præcipue commentarijs.

Q. SEPTIMII FLORENTIS  
TERTULLIANI, AD  
VERSVS MARCIONEM  
LIBER PRIMVS.



SI QUID RETRO gestum est nobis aduersus Marcionem, iam hinc uiderit. Nouam rem aggredimur ex uetere. Primum opusculum quasi properatum pleniore postea compositione rescideram. Hanc quoque nondum exemplarijs suffectam fraude tunc fratris dehinc apostata amisi, qui forte descriperat quædam mendosissime & exhibuit. Frequentiæ emendationis necessitas facta est. Innouationis eius occasio

*Fratre uocat Christianum.*

*\* For. leg. exhib. frequentia. Emend. n. f. est innouationis. Innouationis. Nisi malis legere frequentia. aut frequentia.*

aliquid adijcere persuasit. Ita stilus iste nunc de secundo tertius, & de tertio iam hinc primus, hunc opusculi sui exitum necessario præfatur, ne quenquam uarietas eius in disperso reperta confundat. Pontus qui igitur Euxinus ne-

gatur,